


300



DISPUTATIO⁹ INAUGURALIS
DE EO
QVOD JUSTUM EST
CIRCA
T E S T I M O N I A
HISTORICORUM;


Quam,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSIÆ ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.
Ex DECRETO ET AUTORITATE INCLYTAE
FACULTATIS JURIDICAE,
P R E S I D E
DN. HENRICO BODINO,
SERENISSIMI ET POTENTISS. REGIS BORUSS.
CONSIL. ECCLES. IN DUC. MAGDEBURG.
ET PROF. JUR. ORDIN.
DN. PATRONO SUO ETATEM DEVENERANDO,
PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure honores & Privilegia
Doctoralia rite capessendi,

Ad D. 19. Septembris M DCCI.
horis ante & pomeridianis
publica disquisitioni exhibet

JO. BURCHARDUS MENCKENIUS, Lipf.
Historiarum in Academia Lipsiensi Prof. Publ.

RECUS. HALÆ MAGDEB. Typis Johannis Jacobi Krebsii, Ac. Typ.





I. N. D. N. J. C.

S. I.

SUavisissimum est historiæ Cognitio
historia-
rum neces-
saria J. C. cum Jure commercium, ut apte omnino & eleganter judicare videantur, qui cum Juris scientia historiam novo quodam connubiorum generе ab iis jungendam existimant, qui supra vulgus sapere velint. Nam quantam historiæ utilitatem afferat doctrina Juris, cum ab aliis egregie demonstratum sit, non attingam, illud hic tantum sustineo, quod verus J. C. & idoneus juris interpres historias ignorare nequeat nec debeat. Quis enim vel condi novas leges, vel excuti feli-citer veteres speret posse, nisi & historias eo pertinentes probe cognoverit ejusque, cui propositæ sunt, Reipubl. formam diligenter ante oculos habeat; quam qvi ignorant, næ illi identidem in spississimas tenebras incident & palam vapulant. Qvamobrem Pomponius, quæ fuerit Romanæ Reipubl. quam varia facies, tum quid lex, Plebilcitum, SCtum, Principis placitum, Edictum Prætoris atque alia, quæ ad historiam spectant, in l. 2. ff. d. O. 7. sol-licite exposuit. Tametsi enim verissimum sit illud Juliani J. Cti: *Non omnium quæ à majoribus constituta sunt, ratio-*

A 2 red-

reddi potest, l. 20. ff. de LL. si rationis voce intelligas, quod primam ferendae legi occasionem dedit, eo tamen nitendum, ut obscuris legibus, quoad licet, lucis aliquid ex historia afferamus. vid. tit. inst. d. testam. & d. inoffic. testam. Juvarbit ergo e consilio Lippii ab ipso capite & origine jus petere: juvarbit longius ire, & Platonis, Aristotelis, Charondæ, Zaleu-
 ei & talium leges addere: quid leges? etiam historias aut alia scripta, si qui è sapientia & prudentia libris hauferunt & ad usum generis humani contulerunt. O svavem mixtionem & cinnum! ad Belgas, Cent. 2. Ep. 39. adde Besold. l. i. Polit. C. 10.
 p. 424. Quam viam cum ingressi pulcre sint Cujacii, Balduini, Pithæi, Fabri, Gothofredi, Fabrotti, quantum profecerint jura nostra, abunde intelligitur. Quo loco Wolfgangi quoque Freymonii in conficiendo Indice constitutionum Imperatoriarum ad temporum seriem dispositarum, tum Antonii Augustini & Jacobi Lubitti commendanda opera est. Conf. Conring. de varia & vera Jurispr. pag. 118. 120. Contra ea, nec arduum foret aut difficile, errorum Historiarum, quales frequentes admisere JCti, ingentem edere numerum, si per instituti nostri rationem latius evagilariceret. Et obsevarunt hoc pridem Lud. Vives de causis corrupt. art. tom. i. lib. 6. p. 431. Fr. Tilemanus Dijo. Philol. de Hist. Delect. p. u. & 45. & Henr. Hahn. Orat. de usi Chronol. & Hist. in jure p. 28. quorum scrinia compilare hoc loco nolumus. Quam parum praesertim fidei in historicis mereatur celebriß Benedictinus Gratianus, Decreti quod vocant, collector, ne quidem ipsi JCti haec tenus dissimularunt. vid. Covaruvias l. 4. Variar. Lect. C. 13. & Contius L. i. Lection. C. 10. Atque haec fere ratio videtur, quare ne JCti ipsi quidem omnes in historiis auctoritatem quandam dictatoriam sibi arrogant, nec velint, cum de Consuetudine quæstio est, fidem Doctori simpliciter haberi, qua de re infra redibit differendi locus.

§. II.

Adeo vero multa, quæ Historia complectitur, ad iura
se referunt, ut non vulgariter exercitatos esse in iis opor-
teat, qui vel ad scribendam Historiam vel recte intelligen-
dam adplicare animum velint. Neque enim ea tantum
historicus persequitur, quæ ad bellum spectant classes de-
victas, profligatas acies, oppida occupata: (quanquam ho-
rum quoque causas referre, hoc est, iura bellorum descri-
bere apprime deceat) sed & quæ pacis tempore gesta sint,
maxime quæ formas induerit Respubl. quibus legibus o-
lim, quibus nunc utatur, & id generis alia exacte referre hi-
storicum necesse est. Atque utinam omnis hodie Dio-
nis Cassii historia extaret, qui quantum historiam anti-
quam illustret, dum & quæ abrogatae veteres & quæ con-
ditæ leges novæ fuerint, sedulo observat, nemo ignorat.
*Profecto inquit Bodinus in Method. leg. Hist. Comitiorum ac
Magistratum Romanorum totiusque publici Juris disciplinam
accurate colligit. Quid & magnæ utilitatis JCto Livius fue-
rit, Latinorum e Cominæ fententia Polybius, ut alios ta-
ceam. Certe cum antiquissima sit procul dubio in cor-
pore Juris, quæ ab ipso Hadriano lata est, lex t. C. de Test.
facile appareat, quantum hoc ex historicis suppleri & de-
beat & possit. Quamobrem ex historia alterum veluti cor-
pus Juris Romani alterumque Codicem legum male derelicitarum colligi repetitive posse, judicat Fr. Balduinus de conjunc-
tione Hist. cum Jurisprud. L. II. Idemque pergit: historiam
Romanam diligenter & uiliter legerunt veteres JCti & ex fa-
cto aliquo, tanquam ex bono fertilique fundo, sepe regulam Juris
elicuerunt, atque etiam ex eo, in quo aliis ne vestigium quidem
Juris notaret. Neque referemus prolixæ exempla, qualia
eleganter & sollicite descriptæ Balduinus, l. cit. Res ad ocu-
lum patet, si inspiciamus l. 39. ff. de Pænis. l. 1. ff. de Cadav. Pun.*

aliasque ab illo allegatas: quibus merito addimus l.3. ff. si pars hered. pet. & in primis l. f. ff. de R. D. qva lege Pomponius ex eo, qvod. & Romuli frater Remius occisus tradatur ob id, qvod muros transcendere voluerit, capite puniendum censet, si quis violavit muros. Nihil addo de Jure Canonico, ubi Chronicæ sæpius allegantur, ut observat Zasius T. VI. Conf. 16. n. 1.

§. III.

*Juris publi-
ci, funda-
mentum, est
historia.*

Quid? quod plurima, de quibus in jure disceptatur ex ipsa historia definienda sunt. Nam quoad Jus Publ. id omnne ex historiis compilatum est, rerumque eventus plerumque legem constituit. Quare primo statim *Auræ Bulle* capite ad antiquam laudabilem consuetudinem provocatur. Et quanquam non exemplis sed legibus judicandum statuit Justinianus l. 13. C. de Sent. & Interl. attamen quotiescumque de Jure liquido non constat, facti, qvod historiæ est, rationem habendam esse vel illustris de Jure Coronandi controversiæ exemplo patet. Namque orta inter ArchiEp. Moguntinum & Colonensem gravi de Jure Coronandi Imperatoris lite, cum ex lege sola decidi res non posset, utraque pars e factis gestisque robur quæsivit & ad historiam præteriti temporis longissime respexit, donec A. 1657. d. 25. Jun. controversia illa ab utraque parte amice componeretur. v. Diar. Europ. T. I. p. 948. Conf. ib. Append. Quam pulchre vero jura publica imperii ex historiis asserta fuerint a Conringio ejusque adversariis, constat. At supervacaneum est plura exempla afferre Juris Publ. neque id instituti nostri ratio patitur. Illud potius ut doceamus propositum est, multa in ipsis Juris Privati controversiis ex historicorum documentis dijudicanda esse. Quantum enim fidei tribuant in edocenda Advocatia & jure patratus Magerus de Advocacia Armatia C. 18, n. 193. tum in jure colle-

*Historia u-
tilitas in ju-
re privato.*

collectandi Klockius de Contribut. C. 20. n. 424. & in aliis alii probant. Præterea uti in ceteris Juris in Re speciebus, ita potissimum qvidem in materia successionum recurredum est ad historicorum monumenta. Cumque de successione in Feudo sœpissime quæratur, patet historias multum quoque Jus Feudale juvare. Neque potest profecto reces de successione Hispanica quæstio sive de Hispanorum Monarchia universa, sive speciatim de Mediolanensi Ducatu, qui est Feudum Imperii, cum fructu pertractari, nisi momenta omnia, quæ historia suppeditat, accurate expendantur, quod non minus in celeberrima hac Fridericana nuper accuratissima Disp. de Testam. summor. imperant. speciatim Caroli II. Hisp. Regis, Magnif. Acad. hoc tempore Pro-Rector, Dn. Joh. Franc. Buddeus, quam in Alma Lipsiensi publica oratione maximo omnium plausu Amplissimus hodie Urbis consul D. Romanus, Patroni mei uterque honoratissimi egregie præstiterunt.

§. IV.

Quandoquidem itaque, cum res in judicium deducata est, multum sœpe refert, utrum historiæ conveniat nec ne, putavi me rem facturum nec inutilem & muneri meo convenientissimam, si QVID JUSTUM SIT CIRCA TESTIMONIA HISTORICORUM brevi dissertatione percenserem. Neque absterreret me à proposito meo passus sum, postquam de eadem prope materia carptim non moda à nonnullis, sed à Klockio peculiari tractatu de Quæst. anq; quatenus scripta historica probent in judicio? quem allegari à nonnullis videas: nec non ab Eisenharto prolixo commentario de Fide Historica, tum nuper à Consultiss. D. Thomasio in disp. de Fide Juridica acute actum comperi. Cæterum cum Klockii iste tractatus, studiose licet à me quæsitus, inveniri nusquam potuerit, aut forte nunquam lucem a-

*Scopus di-
putationis.*

spe-

spexerit, certe si aspexit, in paucorum tamen manibus veretur, Duum viri vero Consultissimi, quos memoravi, ampliorem dissertationibus suis scopum videantur praefixisse, id in primis egi, ut universam hanc controversiam methodo facili exponerem & perspicua & quo minus tardii Lettori creetur, subinde exemplis ex historia Litteraria petitis illustriorem redderem. Ut itaque, quid Dissertationis meae rubrica sibi velit, primum omnium pateat, facile quidem omnes vident, me de probatione Monumentorum historicorum agere, quam etsi extra judicium admitti posse omnes recte censem, nisi quis forte cum scepticis prorsus omnia nesciri, historicosque semper mentiri velit, magis tamen an in judicio probent, vulgo ambigitur. De hoc itaque quero, dum titulum disputationi huic feci *de eo, quod justum est circa testimonia historicorum*, aucturus nimirum de eo primum, num probent in judicio, deinde quam vim probandi tum habeant. Neque vero hic cum Conf. Thomasio l. c. C. 2. §. 36. seqq. distinctionem inter Principem & Judicem inferiorem repetere prolixus animus est, in primis cum raro hodie ipse Princeps rem decernat, judex vero superior, qui est loco Principis, legibus se alligari patiatur. Porro cum de *Historiis* hic agam, haud equidem necessarium existimo, ut, quid alias historia JCtis notet, quibus exprimatur synonymis, prolixius referam. Nam *Anonymo in Tract. Centum Historiarum Examen Bononiæ A. 1582.* impresso Historiam significare casum, parum scire expediet. Historias vero Chronicarum nomine communiter ab antiquis JCtis exprimi facile viderint, qui illas inspiciant. Nos dum de testimoniis historicorum disquirimus, ea, veluti instrumenta, quibus causa instrui potest, consideramus Arg. l. i. ff. de *Fid. Instr.* Cæterum cum historicos memoramus, illos quoque comprehendimus, qui histo-

An & quomodo testimonia historicorum probent in judicio?

historiam carmine descripferunt, modo ita descripferint,
ne quid temere finxisse videantur, qvalis est Lucanus, *qui
ideo esse non meruit in numero Poëtarum, quia videtur compo-
suisse historiam, non poëma.* *Serv. ad Virgil. L. 1. Aeneid. v. 281.*
Neque illos tantum admitto, qui res publice gestas me-
moriæ prodiderunt; sed vitarum quoque scriptores non
insuper habendos existimo. Qvorum referri quodam-
modo possunt Vitæ Curricula Concionibus funeralibus ad-
dita, nec non Programmata, quibus recitari breviter vita
defuncti solet, quæ fidem invenire in processu summario
apud omnes constat. Sic enim memini, edito ab Actore
programmate funerali eum, qui tergiversabatur, & ma-
trem uxoris mortuam negabat, condemnatum fuisse in fo-
ro nostro Academico. Pariter hic de lapidibus sepulcra-
tibus quæri posset, quæ ut alias historiam mirifice illu-
strant, ita probatione non destituuntur, quare ejusmodi
utitur probatione Don-Raphael de Vilosa *diff. 4. n. 18.* neque
rejiciendam esse statuunt Paulus de Castro *in l. se sepulcrum
4. C. de relig. & simpt fune.* Menoch. *L. 3. præf. 130. n. 31.*
Knichen *in Encyclopædia C. 14. n. 9.* ita Ricci *in Decis. Neapol.
p. 2. Dec. 23.* notabilem adducit casum, ubi per lapidem in-
cisum plena probatio facta. vid. etiam de Franchis *Decis.
Neap. 180. n. 5.*

§. V.

Antequam vero ad quæstionem principalem acceda-
mus, consideranda paulisper est præjudicialis, *utrum pro-
bent in judicio documenta historica, nec ne?* quæ tametsi ex
principali illa, quæ quatenus probent considerat, potissimum
quasi vim accipit, eaque evicta per se patet, non est tamen
hoc loco prorsus omittenda. *Quamvis enim non desint
Jeti, qui hoc in dubium vocant, quia tamen quæ objici-
untur, plurima in secunda quæstione per occasionem re-*

*An probent
historia in
judicio?*

B

feren-

ferentur, cætera vero magni quidem momenti non sunt, ideo paucis tantum testimonia historicorum habere vim probandi in judicio hoc loco adseram. Quid enim? nonne ipse Ulpianus utitur testimonio Historici l. un. ff. de Off. Quæst. ut eas leges, quas supra citavi sub f. paragraph. 2. hic taceam. Quod si vero non insuper habuit historias legislator, quidni eas admittat judex, quando ferenda sententia est? Præterea haud insuper habendum duco argumentum, qvod a testimonio humano seu ab autoritate docti alicujus viri vulgo petunt; id enim in jure validum esse Jason in l. 1. ff. si cert. pet. n. 24. vers. nota aliquae Dd. in l. 1. C. & l. 33. ff. de LL. dudum probarunt. Ex quo conseqvitur non ineruditii historici quoque testimonium esse admittendum, modo de ejus autoritate constet, quæ ut cognosci possit deinceps docemus. Accedit quod res quædam adeo ab omni hominum memoria sunt remotæ, ut veritas aliunde haberit quam ex historiarum monumentis non possit, quo casu recurrendum haud dubie erit ad historias. Quemadmodum enim opinio cedere debet veritati, ideo quod plus in re est quam in existimatione l. 4. §. 1. ff. d. Manumiss. vindicta, ita haud dubie, cum veritatis ratio certa non appareat, inspici id debet, qvod est vero similius C. in p̄cimus 45. de R. I. in 6. Conf. Georg. Everhard. vol. 1. conf. 27. Eisenhart. de Fide Hist. C. 7. §. 20. Et præterea cum alia probatio non est ad eruendam veritatem, qvodvis testimonium admitti patet ex l. 7. ff. de Test. Quamobrem fateor quidem si alii adsint testes oni exceptione majores, historicorum testimonia nequaquam probare, id est, esse eatenus admittenda, donec probetur contrarium, ne quid veritas patiatur detrimenti, Arg. l. 5. C. de Jur. & Fact. ign. & l. 6. §. 1. ff. de Off. Pres. Id enim omnino in antiquis exploratum, ob probandi difficultatem sufficere leviores probationes, nec non semiplenas & conjectu-

jecturales, vid. *Gail.* 2. *obs.* 93. n. 18. & 2. *obs.* 149. n. 9. *Mantic.*
d. tac. & *ambig. conv.* t. 1. l. 8. t. 14. n. 5. unde quod in aliis fa-
cit qualem qualem probationem, id in antiquis plene pro-
bare affirmat Menochius atque alii, quorum meminit Klo-
ckius *de Contrib.* C. 20. n. 543. Unde nec existimaverim hi-
storici testimonium, si cum vulgari fama committatur,
multo præferendum, quin famam in antiquis plenam fi-
dem facere & pro plena scientia haberi cum plerisque Dd.
affirmo ex *l. 3. §. 2. ff. de Test.* & *Arg.* *l. 28. ff. de Probat.* & *l. 5.*
ff. de Fid. Instr. Quin famæ potius & historicis eandem pla-
ne probationem tribuimus cum *Bellemer.* *dec.* 70. qvi cum
fama & opinione communis probare libros historiales & co-
lumnas diserte asserit. Porro haud omiferim argumentum
à verosimilitudine, cuius nullam hactenus mentionem ab
aliis factam observavi. Qyanta enim sit ejus in Jure vis, cum
cognata sit naturæ, & imaginem veritatis in se contineat,
non una ex lege patet, v. *L. f. pr. ff. quod met. causa* & alias
quas citat *Masc. de Prob.* *Vol. 4. Concl.* 1410. n. 1. atque uti te-
stis non vero similis non probat, sed vehementer est de fal-
so suspectus *l. 21. §. 6. ff. de Test.* ita qui vero simile refert,
quod historicus facit, fidem facile merebitur. Nam vul-
go ob difficultatem probandi sufficere verosimilem pro-
bationem ex *l. 5. §. 6. ff. de re mil.* præter alios multos probat
imprimis *Marc. Ant. de Amatis dec. 21. n. 30.* Taceo commu-
nem Dd. consensum; et si enim aliqui testimonia historicorū
non tam probandi quam ornandi causa in judiciis
proferri dicant, plerique tamen *Arg.* *l. un. ff. de Off. Quest.* *l. 10.*
ff. si cert. pet. c. Cum causam X. de Probat. c. in Nom. Domini, in
verbo trapezitas distinet. 23. & c. inter dilectos in verb. magis de
Fide Instr. ea testimonia probandi vim habere asserunt.
Certe in Gallia hunc morem probatum senatui Parisiensi
semper fuisse multis exemplis docet *Ant. Mornacius obs. ad l.*

un. ff. de Offic. Quæst. ut cum disputaretur inter Duces Luxemburgicum & Spernonium, utrum alterum anteiret in iure Pariatus Franciæ, item inter Principem Condeum & Ducem Visum in quæstione custodiæ Normannæ & juris viduitatis. Per multi hinc inde historici laudati, libri que allati & lecti.

§. VI.

Præterea quoniam, ut sæpe dictum est, de Testimoniis historicorum hic ago, quatenus probant *in judicio*, necesse est, ut prius quam agam de ipsa vi probandi, potissimum de probatione cui incumbat, an affirmanti, an neganti, inquiream. Et constat quidem alias illi Actori incumbere probationem, qui dicit, non qui negat *l.2. ff. de Prob. it. 22. cod.* atque omnino idem valet cum res primum introducta in judicium est, nec aliis testimoniis ab auctore præterquam historicis probari potest; at cum porro quæritur, utrum scriptor historicus, cuius profertur testimonium, fide dignus sit, nec ne, potius ei, qui excipit contra testimonium, adeoque negat, probatio videtur incumbere. *Arg. l.19.*

§. 2. ff. de Probat. Nam (ut ex ejusdem l. pr. apparet) reus excipiendo fit auctor, unde ut hanc suam assertionem, historicum, de quo quæritur, esse suspectum, probet, necesse est. Sed his nolo immorari, ut in sequentibus, quomodo demum probari historicorum fides possit, aliquanto possum accuratius & magis ex rei dignitate dispicere.

§. VII.

Accedo itaque ad ipsum dissertationis meæ caput, demonstratus nempe, quam vim probandi in judicio habeant testimonia historicorum. Quoniam vero *in principio questionis persona debet inquiri l.24. C. de Procur. it. l.14. ff. d. Jur. Cod. l.2. ff. de Statu homin. l.4. ff. qui test. fac. ideoque & ego* primum omnium quis sit historicus, cuius producitur Testi-

*An infide
historica
affirmanti,
an negan-
ti probatio
incumbat?*

*Quam vim
probandi
historicæ
habent in ju-
dicio?*

stimonium, considerabo, deinde, ut debet in omni testimonio attendi, quid testetur, ac denique qualiter seu quo modo testetur, studiosius paulo inquirere constitui.

§. VIII.

Cum de ipso historico, quem testem producimus, quæritur, dispiciendum est in primis, an unicus sit tantummodo, an uno plures. Neque dubium est fortius probare testimonia, quam testimonium. Instituenda tamen hic accurata collatio, ne forte nubem pro Junone amplectatur, & quod plerique vix leviter attigerunt, pro vero & genuino testimonio accipiat Judex. Neque vero solito majorem historicorum testium multitudinem producendam esse prorsus negaverim l.i. §. 2 ff. de Test. quandoquidem ratio huic legi addita, ne homines i.e. testes vexentur, hic prorsus cessat, neque multum hæc testium multitudo ad protrahendas lites conferre potest. Porro itaque si ab utraque parte producti testes varii æqualis ponantur autoritatis, diligenter advertendum, an dissentientium major sit numerus, an par, minorve, l. 21. §. ff. de Test. si plures dissentiant, probationem afferentis par est rejici, si pauciores, admitti l.un. ff. de Off. Quæst. nisi sorte hi rei aptiora & vero proximiora testentur, ut est in l. 21. §. 3. ff. de Test. ut cum par utriusque partis numerus, assertum per contrarium elidi & nulla utrobius probatio videtur admittenda. Nempe si utraque pars probatum item æque verosimilem; quod si vero alterius assertio videtur verosimilior, illi standum esse judicant Baldus in l. in excendis, colum. 3. de fid. instrum. & Mansard. de Prob. Vol. 4. Concl. 1410. n. 22. idemque Vol. 1. concl. 287. argumento §. Item pretium Inst. de empt. & vend. diserte probat, si pares fuerint Chronicorum scriptores, illis fidem adhiberi, qui validiores rationes in medium proferrant. Ceterum etsi in aliquibus differant, nihilominus

An dissentientium major, par, minorve numerus?

possunt allegari in quo communiter conveniunt, sicut dicimus de lege habente varios intellectus, quæ potest allegari in ea parte, in qua omnes conveniunt, ut probat ex Ruyne. in l. i. n. 9. ff. solut. mar. de Marta Tr. de Jurisdictione P. I. C. 33. n. 63. ff. Notanter vero dixi autoritatem supponendam esse æqualem; quodsi enim centum historici parum probati unius fuerint boni viri testimonium fecuti, ii certe nequaquam vel duorum gravissimorum historicorum testimonium evertent. Sed quomodo de autoritate & gravitate scriptorum judicari possit, ex iis, quæ infra dicentur, patebit.

§. IX.

*An Anony-
mous?*

Deinde multum refert auctorem scire ejus historiæ, quam in testimonium adhibemus, ne forte *calumniosa* *scri-
ptura vim obtineat* l. 2. ff. de Fide Instr. Namque eos, qui historiam veram scribunt, latebras querere & celare nomen haud decet. Secus vero est in Theologis, qui, ne vanam gloriam aucupari videantur, aliquando nomen suum celant. Videndum tamen in historico quoque, quam ob causam nomen suam reticuerit. Nam si ideo reticuisse videatur, quod gloriam omnem aversetur, vel odium ex veritate metuat, maxime in historiis, quas arcana vocant, quales hodie multos à Gallis procudi videmus, non plane omni ideo fide destituetur, maxime si res non nimii fuerit præjudicij, fin eo nomen celasse deprehendatur, ut licentius mentiatur, quod tum patebit cum Auctorem cum cura perlegemus, haud dubie rejiciendus est. Nam ut recte Hugo Grotius de Ver. Rel. Christ. L. 3. §. 4. in scriptoribus qualitas magis quam nomen attenditur. Itaque multos historicos recepimus, quorum scriptores nescimus &c. Sed & hoc probe considerandum in historiis, an is scriperit, sub cuius nomine circumferuntur. Noti enim sunt qui impe-

*An suppos-
titum?*

imperitoribus fucum facere studuerunt Annius Viterbiensis, qui Berosum aliosque auctores doctis obtrudit, Petrus item Aretinus, qui Procopii historiam Gothicam suo nomine vulgavit, tum Petrus Alcyonius, qui erectum Cicero librum *de Gloria* & quasi abs se conscriptum novo de *Exilio* titulo edidisse combusto manuscripto Ciceronis fertur, & Carolus Sigonius, qui partum supponere Ciceroni tentavit. Ut vero in instrumentis aliquando comparatio literarum instituenda est, ne falsa pro veris supponantur *l. 20. C. de Fide Instr.* ita in his quoque testimoniis est stylus probe perpendendus & ea, quae proferuntur, cum ceteris auctoris scriptis, si haberi possint, comparanda. Attamen ut fallax reperta interdum est literarum comparatio. *l. 20. C. de Fide Instr. & Novel. 73.* ita invenias quoque, qui aliorum stylum tam feliciter imitantur, ut vix discerni possit, ut taceam alia saepe monumenta, unde judicium fieri queat, non existare. Ego majori longe diligentia opus est atque omnia momenta perspicienda, id quod ante biennium egregie praestitit Rich. Bentlejus, celeerrimus Anglus, qui adversus Carolum Boylium epistolas Phalaridis a quodam Sophista confictas probavit in *bis Dissertations upon the Epistles of Phalaris*. Denique id quoque cavadum diligenter, ne quid ab historico dictum credamus, quod recentior manus temere infarsit. Hoc enim modo plurima, quae forte non nemo manuscripto suo addiderat in margine, in ipsum textum sensim sunt transumpta, ut patuit imprimis in historia vel fabula potius de Johanne Papissa. Namque inter antiquiores scriptores nullus praeter Martinum Polonum repertus est, qui id assereret, & cum antiquiores conferrentur codices, ne quidem ab illo factam ullam ejus rei mentionem comportunt est. Unde tandem haud difficii conjectura probarunt nonnulli, ab otiosis

otioso quodam monacho recentiori ævo insertam eam fabellam fuisse. vid. *The Worcks of sir Th. Brown. vol. 1. L. 7. conf. Act. Erud. Suppl. T. I. S. 6. p. 286.* Cumque nonnulli novas lacinias veteri panno affluere conservaverint, oportet, ut quo tempore mortuus fuerit Actor, sciamus. Unde facile appareat, quid de Commentario Fenestellæ de Magistris existimandum sit, quandoquidem in illo allegantur, qui post obitum Fenestellæ scripsérunt, imo etiam post Ulpiani ætatem, qui Fenestellam allegat in *I. 1. §. 1. de offic. Quæst.* Aliud exemplum vid. ap. *Tilem. de Historicorum delect. P. 1. p. 90.* Deinde non parum refert, utrum testimonium historici ab eo, qui pro historico se gerit & re vera id intendit, ut historiam scribat, an sorte ab alio, ut Theologo, vel JCto, dum de rebus plane aliis agit, proferatur. Neque enim omnes ad historiam scribendam apti sunt. *Quamobrem Sannazarius Poggium Florentinum Civem meliorem v. Oeuvres de la Mothe le Vayer T. 1. p. 226.* Strabo vero Onesicritum Itinerum Alexandri scriptorem nauclerum quam historicum meliorem vocavit *L. 15. Geogr.*

*An histori-
cus?*

*An Doctori
simpliciter
credendum
in historicis?*

Agendum vero hoc loco de quæstione, an in jure Doctori testimonium historicum dicenti simpliciter credendum sit? Et fuere sane nonnulli, qui moti auctoritate summi in Jure Monarchæ Bartoli in *I. de quibus 32. post num. 21. ver-
su quarto principaliter queritur ff. de leg. consuetudinem
probari per assertionem excellentis Doctoris professi sunt,
ideo quod etiam poëtarum & philosophorum dictis standum
sit *I. 12. ff. de Stat. hom. Conf. I. 36. ff. de Solution. I. 1. Infl.
de Donat. I. 6. §. f. ff. de R. D.* attamen alii, qui arrogantiæ
habuere paulo minus Alex. in *I. 40. ff. de solut. Matr. Bertrand.*
in Conf. 465. n. 4. vol. 4. & in eonf. 67. n. 32. vol. 4. Petr. Paris.
in conf. 31. n. 41. Neviz. Conf. 45. n. 7. ff. & Conf. 66. n. 31. Udalr.
Zafius in I. de quibus 32. n. 23. versatam quid si Doctor. ff. de LL.
nega-*

negarunt Doctori in consuetudine, quæ facti est, eximiam esse auctoritatem, & in his non magis valere, quam lixam, calonem, apparitorem vel cerdonem scribit diserte Zasius c.l. vers. *ut professio ejusdem*. Nam quod Bartolus Philosophorum Poëtarumque dicta probationis causa in jure adduci ait, ideo fieri constat, quod conveniat Philosophica e Philosophis, Poëtica e Poëtis probari, quandoquidem cuilibet artifici in sua arte credendum, quod vel *expr. l.i. ff. d. ventr. insp.* confirmatur, ubi obstetricibus quoque defertur, sed his, quæ essent probata artis & fidei. Quanquam vero nostram hanc controversiam non facimus, neque nullam, neque omnem doctoribus fidem in re historica, qualis consuetudo est tribuentes cum *Masc. de Prob. Vol. i. Conf. 426.* illud saltem ex dictis patet, quam leviter arguant, quicunque ex eo, quod Doctori in historiis non credatur, multo minus credendum historico argumentantur. *Gilk. de prescript. Part. 3. C. 3. n. 202. Ludolph. Schrader. Consil. 9. n. 60. Lib. 1. Conf. Klock. de Contribut. C. 20. n. 439. s. & 479. s.* Ceterum cum res deprehendantur plurimæ, quarenum jus Jctus, usum Historicus docet, tanto quemq; liquet majorem fidem invenire, quanto magis in utroque studio excellit. Quamobrem non immerito in probandis Anglo-rum in Lusitania privilegiis historici juris peritissimi Licentiati Duartis Nunesii de Liam testimonio utitur recentissimus Auctor *Anonymous in the Account of the Cour of Portugal &c. P. II. p. 124.* ut cetera ejus generis exempla omittam.

§. X.

Non est quoque negligendum illud Comici: *pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem; qui audiunt, audit a dicunt, qui vident, plane sciunt. Plaut. in Trucul. Act. 2 sc. 6. & notum illud Horatii in Art. Poët.*

*An Testis
oculatus?*

*Segnus irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

C

Quin

Quin vidit idem Justinianus Imperator, cum magis veritatem oculata fide, quam per aures animis hominum insiḡi dicit §.
s. Inst. de Gradib. Cognat. qvam rationem probavit Jo. Andr. in Addit. ad Specul. in rubr. incip. Tancredus posuit tit. de execut. sent. circa fin. Non morabor autem ea, quæ prolix ex mente Philosophi refert Bald. in c. cum causara. de testib. n. 33. ea nimurum esse, quæ oculorum sensu percipiuntur, pulcritudinem, lucem, tenebras, colorem, corpus, figuram, remotionem, propinquitatem, motum & quietem. Potius id paucis attendimus, eos testes, quos ~~αὐτοῖς~~ vocamus, multo majoris esse autoritatis, qvam qvi ea referunt, quæ ab aliis acceperunt. Quare semper mihi plurimi fuit Xenophontis & Tucydidis fides, qui eas res descripsierunt, quibus ipsi interfuere. Atqve par sane Procopii videtur autoritas, qui multa aperit secreta, quod esset comes, notarius & consiliarius Belisarii summi bellorum ducis, ut præter Suidam testis est ipse Procop. Lib. i. bell. Pers. p. 33. Cui socium adderem è recentioribus Guicciardinum atque alios, nisi hoc præstituti operis brevitas prohiberet. Neqve putaverim Ducum Gallicorum commentarios illos, quales freqventes quotidie prodeunt, rejiciendos, cum & abs se gesta describant & ea, quæ ipsi viderunt, qvamvis dissimilandum non sit, multum ab his datum amori patriæ & Regis, de quibus judicium esto penes letores, & imprimis (quoniam ad judicium referre omnia nos decet) penes judicem. Neqve enim infrequens est, varia oculis objici ~~γλωσσάς~~, omneque visus judicium intercipi. Et reperiuntur historici, qvi per nebulam vitiosissimorum affectuum in religionem, naturam, acta gestaque principum virorum intuentur eaque mendacissimo calamo perstringunt, nec vident quantum debent, vident quantum volunt, ut loquitur Tilem. tr. de Hist. del. p. 118. Non possum tamen hic, qvin mentionem aliquam

quam faciam recentissimi historici Angli Philippi Warwic-
kii, cuius Commentariis historicis de Regno Caroli I, qui
hoc ipso anno Londini prodierunt, fidem ideo facilius tri-
buendam censeo, quod & ipse prælii plurimis interfuit &
Caroli I, cuius vitam describit, lateri perpetuo fere adhæ-
sit. Qvare nec injuria Naudæus Maffæi & Stradæ fidem
suspectam putat, qvorum ille apud Indos nunquam fuit,
neque hic in Flandria. Vid. *Masurat p.31.* Ceterum quo-
niam frustra cum Polybio desideramus ubique eos histori-
cos, qui ea ipsi semper viderint, quæ narrant, ideo illi quo-
que audiendi sunt, qui quod ab aliis acceperunt, bona fide
referunt & recensent. Unde Seneca hos, qui se non vidif-
fe fatentur, sed ab aliis audiisse affirmant, secundæ notæ te-
stes esse ait, quemadmodum observat *Baldinus de Inst.
Hist. Lib. I. p.m. 635.* Neque à JCTis hi testes rejiciuntur. Nam
& cum quæreretur, an operis facti memoria exstaret, olim
responderunt εἰ τάτις hoc quærendum esse, νομίζεις τις τότε
viderit, vel audierit opus fieri, vel abs iis acceperit, qui vidissent,
aut audiissent, ut refert Labeo l. 28. ff. de Probat.

§. XI.

Quæri deinde potest, an ejus uti testimonio possimus
cujus in aliis fides vacillat. Hic tametsi nolim cum sce-
ptico apud Consultiss. Thomasi d. Diff. C. II. §. 21. omnem
historicis fidem derogare ideo, quod ex judicio Flavii
Vopisci in Aurel. *nemo historicorum quantum ad historiam per-*
tinet, non aliquid sit mentitus, cum aliquando ex errore
mentiri possit, qui alias veritati studet maxime, potius ta-
men, num in plerisque fidem fallat, diligenter attenden-
dum existimo. Id enim si deprehensum fuerit, gravis me
judice præsumtio contra Auctorem stabit, unde non sine
causa in teste *gravitas l. 2. ff. de Test. auctoritas l. 3. §. 2. ff. cod. ho-*
nestas atque existimatio l. 21. §. 3. ff. cod. & summa atque integra
opinio l. 18. C. cod. requiritur. Et quanquam Menochius L. II.

*An in aliis
habeat fidei
dem?*

Conf. 112. n. 71. falsum in uno in ceteris fidem perdere afferit ex mente Parisi Conf. 23. n. 253. tamen haec non simpliciter, ut insinuavit quidem Eisenhart d. Comm. L. 8. §. 6. sed ea occasione dicta videntur, quod a parte litigante Leandri Alberti, & Gviciardini testimonia proferrentur, quae ideo rejicit Menochius, quod ex ejus sententia (nam de Gviciardino alii melius sentiunt, inter haereticos vero primæ classis relatum testatur Th. Pope Plount Cens. Cel. Aut. p. 390.) sepe, atque adeo non in uno tantum, falsi sint. Quin potius in uno falso, in aliis verum esse posse Trentacinquis probat Var. resol. Lib. 2. Tit. de prob. concl. 6. Et prudenter Pierre Mathieu in Hist. Gall. proœmio historicos dicit quandoque hallucinari, at historiam ideo, quod erroris non nihil admixtum habeat, non desinere esse historiam, quemadmodum vinum dicimus, cui paucæ aquæ guttæ accesserunt. Nam & ab excellentissimis historicis errores aliquando admissos fuisse negari non potest, quales diligenter collegit Lance-lottus in libro, cui titulus: Farfolloni, notante Naudæo dans le Mascurat. p. 31.

§. XII.

An fuerit in celebitate versatus? Porro cum in persona testis explorare imprimis conditio-nem cujusque jubeat Callistratus Pr. l. 3. ff. de Test. utrum quis de curio, an plebeius? non erit abs re, ut qua dignitate historicus fuerit, cuius producitur testimonium, videamus. Itaque advertendum est, num quis in celebritate versatus sit, an fuerit Doctor umbraticus, quales plerique fuere medii ævi historici, monachi quippe illi, quid Reipubl. com-modis serviat, parum gnari. Quo magis sapiunt, qui in aula & curia Principis seu Reipublicæ constituti sunt. Nam hos demum historicos desiderant Gvilielmus Bellajus Langeus pref. de rebus gestis Francicis I. & Hortleder in pref. in Richtigkeit des Teutschen Krieges. Quare hoc pluris facio Ottonem Frisingensem, qui Henrici IV. Im-pera-

peratoris nepos, Henrici III. sororius, Conradi Frater uterinus, & Friderici I. patruus fuit, quo minoris apud me autoritatis est Wippo¹, Vitæ Conradi II. concinnator, qui non sibi, sed narratoribus errores suos tribui cupit. Possem hic latius excurrere si luberet, atque Eginharti, Æneæ Sylvii, Cuspiniani, Thuani, Gramondi, Prioli, Buchanani, Warwickii aliorumque afferre exempla, verum in his, quæ ad jura minus faciunt, brevitati studeo.

§. XIII.

Multo plura dicenda essent, quando id perquirimus, an, ut oportet sane, ab effectibus plane immunis fuerit historicus, ita ut neque lucri, neque gratie, neque inimicitiae causa fuerit. *l. 3. ff. de Test.* Nam ut de spe lucri dicamus primum, quam tot leges a testibus abesse volunt, invenias equidem longe plurimos, qui victimum querunt mercenaria quadam historiarum scribendarum opera. Pauperiimos enim fuisse Victorem Siri, Verdierium, Belleforestum aliquosque complures vulgo constet, & compertum est Paulum Jovium stipendia accepisse a Ferdinandino Catholico, ne quid scriberet, quod ei apud posteros esset ignominiaæ, quod ita praestitit, ut laudibus in cœlum efferret, quem perfidiae alioquin accusant scriptores, speciatim Fr. Belicarius *Rer. Gall. L. 7. c. 38.* Neque alia videtur ratio, quare Uloa historicus Hispanus Carolum V. Legatos Gallicos Rinconem & Fregosum obtruncantem laudet, v. *l' E grain dans la pref. de sa Decade de Henry le Grand*, cum vulgo eam obrem apud plerosque scriptores vapulet. At quam minime testimonium dignum scriptores isti ferre possint, patet ex *l. 6. ff. de Test.* & *l. 3. C. eod.* & referri huc poterit regula vulgatissima: *Melius est pro veritate poti supplicium, quam pro adulacione recipere beneficium.* *Caus. II. qu. 3. C. 82.*

*An ab effec-
tibus im-
munis?*

§. XIV.

Præterea vero nonnulli in Principem aut patriam adeo *An Principi-
vano*

C. 3

piò aman-
tier?

(22)

vano amore feruntur, ut, si his blandiri sati possint, pa-
rum current veritatēm. Quod idcirco propter tenendum,
quoniam locus amori apud testem nullus relinquendus
est l.3. ff: de Test. l.5. C. eod. Non attinet hic prolixe referre,
quantum adulatio[n]is dedicationes comprehendant, qua
in re quicunque facere periculum velit, eas legat, quas Gal-
li suo Regi consecrant, atque erit forte locus alibi ubi de
dedicationibus librorum agamus accuratiu[s]. At qua s[ecundu]s
vanitate novas Genealogias comminiscantur historici,
non uno exemplo patuit. Duos in primis apud Hispanos
reperias Prudentium de Sandoial & Granadinum Pegna-
fiel Contreras, quorum ille Caroli V, cuius vitam scribit,
hic Ducus de Lerma Genealogiam ab ipso Adamo derivat,
& per celeberrimos Græciæ heroas circumducit v.¹ La Mo-
the le Vayer de l' b[ea]stoir p. 222. 223. Eadem temeritate apud
Gallos Illustrissimum Lotharingiæ ac Barri Ducum stem-
ma ab Antenore deduxit non nemo scripto publico, quod
Lutetia Parisiorum A. 1580. elegantibus typis procusum
est. v. Tileman. de Hist. del. p. 224. Et ne his gentibus Germani
nostris concederent, Michaël Eyzingerus in Thesauro Prin-
cipum novam Principum Austriae genealogiam confinxit,
quam ab ipsis Julii Cæsaris temporibus repetitam ad an-
num usque Christi 1590. deduxit: Eisenb. de Fide Hist. C. 8. §. 20.
In primis vero, quantum possit amor in Principem, in hi-
storia filiorum Ludovici Pii apparet. Inde enim est, quod
Annalista Metensis Lothario, Fulensis Ludovico Germa-
nico & Bertinianus Carolo magis favet, ut observat Caro-
lus le Cointe Anal. Eccl. Francor. T. VIII. ad A. 843.

§. XV.

An patria? Sic multi amore patriæ decepti rem aliter ac gesta est
describunt. Etsi enim Polybius adeo nolit historicum o-
dissē patriam suam, quin possit aliquando in ejus laudes e-
vagari, modo veritati nihil decedat, in Excerpt. Valef. p. 71.
atta-

attamen oppido multi patriam adeo perdite amant, ut levissima quæque extollant mirifice. Unde idem Polybius Hist. L. I. magnopere reprehendit Philinum, quod Carthaginem, Fabiumque, quod Romanorum ubique virtutes celebrent. Nec defunct recentiora exempla. Videtur enim Philippus Cominæus Ludovici XI, Meyerus Burgundicæ domus commodis studisse, ut merito in ea historia Paulus Amylius natione Italus cæteris præferendus censeatur doctissimo de la Motte le Vayer L. 9. p. 230. Sic Bembum ob patriæ amorem accusat Varillasius Pref. du T. II. de l' Histoire de Louis XII. Rursus eodem nomine male audit Varillasius in recenti opere Melanges d' Hist. & de Litt. de Vigneul-Marville T. II. p. 394. Je pense avoir ouï dire a feu Mr. Varillas qu'il estoit de la Marche & que c'est pour cela, qui il a toujours bien parle des Princes de Bourbon ses Seigneurs & ses Maitres. Sed quam aliis quoque de causis suspectus sit Varillasius dudum Burnet & Larroquius decuerunt. v. Act. Erud. A. 1687. p. 65. ff. & A. 1688. p. 249. ff. & p. 403.

§. XVI.

Contra quosdam historicos odium agit transversos, quorum testimonia contra eum, cuius odio flagrant, allegari non posse liquet l. 1. §. 24. ff. de Question. l. 17. C. de Test. l. 3. ff. Eod. & Arg. l. 3. §. 1. ff. ad SCt. filian. Ex his alii publico quodam in eum, quem laceissent, odio feruntur, quippe inimicum Reipublicæ & hostem. Quod observatum in Machiavello est, cum vitam Castratii, qui Florentinæ Reipublicæ hostis erat, commentitie lasciveque, contra, quam veritas pateretur, describeret. Et nescio an non idem in Illustri seculi nostri & in ceteris sine pari historico reprehendi possit, si quis velit ejus historias cum cura perlustrare. Passim enim Svecicæ gentis hostes false perstringit, & imprimis in Saxoniam Domum licentius invehitur. Certe in historiæ ecclesiasticae scriptoribus odii illius non pauca extant

An Odio
locus sit,
sive
publico.

sive priva-
19³

extant indicia, quoties quis ejus vitam attingit, a quo discrepat doctrina. Neque opus est ea scripta recensere omnia in quibus Lutherus noster aliquique viri integerrimi acerbo sale perfricantur. Alii privato odio incensi impune calumniantur, & nihil non fingunt, quo se injurias egregie ultos esse opinantur. Ita Platinam mirum nemini esse debet Pauli II. gesta acerbius explicasse, quandoquidem eo jubente in carcerem detrusus & in equuleum impositus fuerat, ut ex Trithemii *Catal. Script. observat Tilemannus de del. Hist. p. 136.* Pariter de Guicciardino referunt, eum passim Francisci Mariae de Feltry, Ducas Urbini, gloriam obscurasse, quod aliquando verbis acerbioribus ab ipso exceptus esset, v. *If. Bullart dans l' Academie des sciences T. I. Lib. II. p. 150.* Neque tacendus hoc loco est Dantes Aligerius, qui a militibus Gallis aliquando injuria affectus Hugonem Capetum Galliae Regem lanionis esse filium commentus fuit, quod refutat Steph. Pasquierius *Recherches de la France p. 438.* Et quanquam Dantes Poëtae magis, quam Historici egit partes, habuit tamen, qui ejus vestigiis infistret, Matthiam Beroaldum in *Chron. 263.*

Jam satis est, ne me Crispini scrinia Lippi
Compilasse putes.

§. XVII.

Quid?

Sed a quæstione *quis?* ad quæstionem *quid?* hoc est a persona testimonium dicente ad ipsum testimonium progredimur. Et cum historia alia antiqua sit, alia nova, rursumque historici alii antiqui, alii recentiores, multum refert testimonium historiæ antiquæ ab antiquo & coævo scriptore perhiberi. Quanquam vero Valenzuela Velazquez *Conf. 201. n. 22.* simpliciter ait in omnibus, que fundata super antiquitate sunt, historicorum adhibendam fidem, citato insuper *Ripa n. 72. ad L. 1. ff.* si cert. pet. cap. inter dilectos, circumspectior tamen est meo judicio Felinus Sandeus, cum ita

ita loquitur: **Chronici libri in factis antiquis plene probant;**
dummodo ab antiquis talibus chronicis fuerit adhibita fides, vel
quando Chronica fuit custodita in loco publico & a persona pu-
blica ad c. ex parte X. de rescript. n. 49. Alioquin non male ju-
**dicat Ludolphus de Bebemb. f. Leopoldus Bamberg. Episc.
de Jure Regn. & Imp. Rom. c. 5. videri sufficienter probatio-
nem Chronicarum in his rebus, qvæ hominum memoriam
excedunt, qvem seqvuntur longo ordine auctores à Klo-
ckio de Contrib. C. 20. n. 489. citati. Admittuntur autem
ideo præcipue argumenta ex veteri historia petita, qvia in
c. cum causam X. d. Probat. inter alias probationes *librorum*
qvoque antiquorum fit mentio. Conf. C. ad audientiam X. de
prescript. Inde ergo a libris antiquis aliis qvibuscunqve
non male ad historiarum libros argumentantur. Conf.
Fritsch. T. I. Conf. 26. n. 12. Myler, in Ordin. Imp. Archol. p. 4.**

§. XIIIX.

Oportet autem in historia antiqua iis testibus uti,
 qvorum recepta fides est. Näm & ipse Aristoteles Lib. I.
Rhetor. C. 15. non nisi illustrium virorum admittenda esse
 testimonia præcepit ὅτινες γνωστοὶ μὲν οἱ αἰνῆται, φαντασταί, qvales
 Homerus, Periander, Corinthius, & Solon. Et possem hic
 magnam Jctorum nubem producere, qvi ex eo, qvod a
 majoribus receptus sit historicus, nos qvoque fidem adhi-
 bere debere argumentantur, ut Jo. Bapt. Vincenz Mal. apud Leon.
a Lege in Conf. Feudal. collectis Conf. 1. n. 105. Menoch. l. c. n. 68.
Ant. Mornac. obs. ad l. un. ff. de off. quest. St. Gratian. discept. Fo-
rensi. C. 893. n. 6. seq. ubi Blondo ceu gravissimo historico
 credendum asserit, Henr. Michaël. *Deduct. s. Respons. Juris*
XIV. p. 84. & Jac. Thoming. Conf. 26. n. 22. qvi Alb. Crantzii
 utuntur testimoniis, & Thomingius præterea libros histo-
 riarum a majoribus nostris probatos in factis præfertim an-
 tiquissimis plenam fidem mereri adserit ex mente Baldi in
l. un. ff. de off. Quest. Quin & in illustri Imperii judicio Ca-

D

me-

merali libros historiarum, qvibus a majoribus fides semper est habita, admissos non semel fuisse, probat Consultiss. Eisenhart de fide histor. l.c. c.7. §.10. At cum qværi hic possit, an erroneum historici assertum ex approbatione vulgari vim habeat veri asserti? miror ejus qvæstionis mentionem factam esse a nemine. Mihi affirmanda videtur. Arg. l.3. §. f. ff. de Supell. Leg. & l.39. ff. de LL. Videamus exemplum juris publici. Errant historici, qvicunq; ve ajunt Pontifici & Episcopis solis Sacrorum jura competere; attamen hic error fecit jus. Nam qvod Protestantes Principes jure sacrorum utuntur, non alio nomine utuntur, qvam qvia sunt Episcopi. Neq; ve obstat hic regula Catoniana, qvod initio non valet, non potest ex post facto convalescere, multas enim patitur exceptiones v.t. ff. de Reg. Caton.

§. XIX.

Ma novæ? Recentioris historiae eo minor fides videtur, qvo facilius aliunde veritas explorari potest. Qvare Matth. Wessenbechius Part. V. Conf. 209. n.66. in judicis non credi historiis adserit aut Scriptis divulgatis novis, qvæ non excedunt hominum memoriam. Ast ea non vult simpliciter intelligi Eisenhartus l.c. C.7. §.17. probe quippe perspiciens, qvantis novæ qvæq; historiæ usus apud nos esse queat. Proinde admittit historias, qvæ approbatione eorum, qvorum acta memoriae publicæ ab aliquo scriptore consecrata sunt, eduntur. Sed cum facile scepticus apud Thomasium l.c. P.2. §.25. signum hoc veritatis non minus fallax pronunciaré possit, ac testimonium in propria causa, publicam præterea approbationem desiderari existimaverim, atq; adeo programmata funeralia & similia neq; vaqvam rejicienda esse. Ceterum qvod ad eos historicos novos attinet, qui res antiquas narrant, eatenus admittendos censeo in judiciis, qvatenus vetustis scriptoribus fide non indignis vel archivis, numis, lapidibus usi sunt.

§.XX.

Deinde hoc qvoque videndum, an testimonium magni præjudicii sit, an levioris, & an auctori ipsi, an alii sit præjudicio. Vix enim in magni momenti rebus admitti in præjudicium tertii historici testimonium volunt communiter Dd. cum veritas rerum gestarum erroribus minime possit vitiare l.6. §.1. ff. de Off. pres. & per historicorum affirmare non immutetur l.5. C. de jur. & fact. ign. Andler. in Jurispr. l. 2. t. 9. n. 37. p. 653. junge n. 58. p. 661. ubi: *Juris Consulti fere Historicis tantum tribuunt, quantum ipsis legibus, dum tradunt historias & annales vim probandi habere.* Conf. Dietber. Additam. ad Specul. Speidelii p. 176. Contra vero in rebus modici præjudicium sufficere probationem non plenam, & sic antiquos libros haec tenus toleratos afferit diserte Svaes Alleg. 8. n. 2. ubi in qvæstione de finibus Diœcœfeos perinde esse existimat, utrum hic an ille Episcopus habeat ampliores. Rarius tamen aliis, quam sibi præjudicat historicus, nam si quid scripserit in suum præjudicium, haud dubie admittenda erit propria confessio. Neqve rejiciendum forte testimonium in præjudicium familiæ, & amicorum, nisi appareat historicum fuisse in errore versatum. Errantis enim nulla voluntas est l. 15. ff. de Jurisd.

Qvod tertio denique ad quæstionem qualiter? attinet, *Qualiter?*
modus in primis ferendi testimonii considerandus est, ne *An testimoniū vere*
quid forte historicō præter ejus mentem affingamus. Nam *an dubitan-*
multum intereft, vere quis an dubitanter rem afferat. I-
taque familiares historicis formulæ, si quid minus recte
habeant perspectum *ajunt, ferunt, perbilent.* Et Curtius fa-
tetur: *Evidem plura transscribo, quam credo; nam nec affir-*
mare sustineo, de quibus dubito, nec subducere, quæ accepi. Conf.
Knichen de Jure Territ. C. 4. n. 417. Gravis vero hac occa-
sione tollenda objectio, quam illi faciunt, qui in universum

An injurato? omnem historicorum in judiciis fidem tollunt. Nimirum ajunt, *testi injurato non creditur*, ut est in *I.9. C. de Test. & aliis*, ergo nec historico credendum est. Sed præterquam quod neque jus divinum, neque jura gentium & naturæ in teste requirunt juramentum, & antiquissimis temporibus probitas potius testium, quam juramentum attendi conservavit, uti pulchre observavit Consultissimus Thomasius *d.l.c.2. §.57.58.* notum est vulgo in antiquis juramenta non desiderari, & sufficere leviorem probationem, ut supra dixi. Neque juramentis testimonia confirmari tam est per omnia necessarium, quin nonnullis in casibus admittatur exceptio, ut cum utraqve litigantium pars iusjurandum remisit *c.39. X. de Test.* item jure Saxonico eo casu, si in summarissimo possessorio violentiae metus singularis apprehendatur *Dec. El. I. Conf. Venerandi nostri Præceptoris & Agnati D. Lüd. Menckenii Tract. Synopt. Pand. p.312.* Sed an responsio *Klockii d.l. n.526.* locum hic inveniat, oppido dubito. Is enim mortem scriptis defuncti aliquid roboris addere, atque esse adeo loco juramenti putat, cum nemo immemor salutis æternæ obiisse & falsa scripta relinquere voluisse præsumatur.

§. XXII.

An historicus sub sua flet de relato, Artb. s. qvis C. de edend. N. 119. C. 3. in historico refetur, an qvoque considerandum est, sub sua an aliena rem referat fide. Si qvis ea, qvæ ipse vidit, monumentis prodidit, majorem longe, quam qvi aliorum nititur auctoritate, fidem meretur (ut supra dictum §. 10.) quo magis in omni jure authenticum prævalet exemplo *I.2. ff. de Fid. Instr. & aliis.* Sed refert rursus qvibus qvisque auctoribus usus sit, eos enim nominare plerique solent historici, quod multis exemplis demonstravit Eisenhart. *c.l. C.9. §.4. f. 57.*

§. XXIII.

Verum cum non is modo sub aliena fide deponere testimoniū censeatur, qvi aliis utitur scriptoribus, sed & qvi publicis documentis & archivis, ergo & de his aliquid dicendum. Si leges consulamus, extat lex diserta: *Monumenta publica potiora testibus esse, Senatus censuit. l.10. ff. de Prob. cui si jungamus Auth. ad her. C. de Fide Instr. charta, qva profertur ex archivo publico, testimonium publicum habet, multum equidem archivis & testimoniis, publicis tribui videtur. At quoniam ne quidem Archiva sine suspicione sunt, & saepe Archiva Archivis contradicunt, prudentem esse judicem in his quoque conveniet.* Quare *Consultissimus Thomasius nosfer d.l. §.50.* definit tamdiu quidem archiva publica apud judicem fidem mereri, quamdiu ex aliis facti circumstantiis non justum oriatur dubium. De cætero cum archiva a privatis vix integra obtineri possint, nisi Principe aditum parante, ii haud dubie majorem fidem merebuntur, qvi ius Principis archiva compilant, quemadmodum alias instrumenta publica vim probandi habent ex eo, quod autoritate magistratus juvantur. *Arg. l.10. de Prob.* Et cum adeo certum sit, archiva probare in processu civili, quæri hic ulterius posset, num probent etiam in criminali. Et respondet Jafon *Conf. 34. col. pen. in pr. l.1.* non probari crimen ex scriptura minus solenni, licet reperita in archivo publico. Sed opus non est, ut ad scripturæ solennitatem hic respiciatur, quandoquidem constat per instrumentum etiam solenne & publicum crimen probari non posse, uti censet Bartolus in *pr. l.15. ff. ad Sct. Turpil.* Baldus in *l.4. C. ad L. Aquil.* de quod late Felin. in *c. cum in eccles. de majo & Obed.* Quæcum ita sint notandum hic in genere ad pœnam corporis afflictivam comporandam historicam probationem nequaquam sufficere. Nam cum secreta sint multorum odia, quot futuros credimus historicos, qui non impune calumnientur,

*An n. suis
publicis doc-
cumentis &
archivis.*

quamvis nec historicos tamen, si post compertam calumniam supersint, à poena immunes esse mox patebit. Quoniam vero de Archivis hoc loco agimus, paucis attingemus quæstionem, quam movit Aymon Cravetta *P. I. de antiquis temp. p. m. 52. n. 11.* nimirum an scriptum archivi probet extra territorium ipsius archivi. Negat ipse Cravetta ideo, quod non soleant servari in archivis nisi scripturæ publicū spectantes commodum & in quibus agatur de graviori præjudicio, & ratione gravioris præjudicii difficilius fieri extensionem extra territorium. Deinde ait considerari gravius præjudicium in scripturis unius archivi, si ubiq; probent, quia difficilius possint impugnari & reprobari de falso, quam aliae scripturæ privatorum ratione custodiæ & diuturnæ occultationis. Ast videtur à vero aberrare Cravetta. Nam quoad primum illud saltem conseqvetur in rebus minoris præjudicii, quæ ab archivis quoque aliquando juvantur, Archiva in alieno territorio probare, & qvod ad alterum, probare eo fortius, quo diligentius haec tenus custodita & minus interpolata sint.

§. XXV.

An MSpta, diplomata, lapides probent? Non edisseram denique prolixe de probatione manuscriptorum codicum, diplomatum, lapidum, de qua non uno loco agit doctissimus Eisenhartus d. Com. In his multum refert veterum scribendi rationem habere perspectam, neq; poterit ex iis prius judicium fieri, quam de ætate constet. Et præstitere aliquid ea in re Mabillonius in opere excellentissimo de Re Diplomatica, Leo Allatius in Animadversionibus ad Antiquitatum Hetruscarum fragmenta *p. 45. ff.* & qvod ad seculi X. speciatim scripturas attinet, Henr. Boeclerus in Historia sec. IX. & X. *p. m. 240.* At cum multa lubrico ab his fundamento videantur superstructa, ipse novum opus aggredi ea ratione constitui, ut collectis diligenter eorum Mistorum speciminibus, quibus annotatur

tus an nus est, quo scribebantur, illud in primis doceam, quem admodum per singula secula mutata sit scribendi ratio. Quoniam vero hactenus octavo seculo antiquiores, sive Latinos, sive Græcos Codices nancisci in itinere meo Belgico-Anglico non potui (nam plerique, qui majusculis literis scripti sunt, ut Codex Alexandrinus, qui Londini in Bibliotheca Regio asservatur, a Bentlejo Bibliothecario liberaliter mihi communicatus, Codex item Geneseos vetustissimus in Bibliotheca Cottoniana, annum adscriptum non habent, quem in cæteris quoque rarius depredendas) rogatos eos cupio, quibus antiquiores codices innotuere, ne institutum meum graventur adjuvare. Postremo nec fusius disquiram, an silentium historicorum probet? quod itidem eruditæ fecit Eisenhartus d. diff. C. XI. §. 25. ff. ubi coæ vorum silentium omnino aliquid probare afferuit, & recte limitat Consult. Thomasius noster d. Disp. C. 2. §. 53. nisi ob metum silentio rem involuisse deprehendantur. Et ex istimo præterea discrimen faciendum inter historicos, qui aliquando maximam, medium aliquando, & minimam nonnunquam diligentiam adhibent.

§. XXV.

Hæc itaque sunt, quæ hactenus velut in thesi sufficiat considerasse. Quod si nunc justa eorum, quæ dicta sunt, facienda applicatio est, fatemur equidem arbitrio judicis pleraque omnia esse relinquenda; sed is tamen male arbitrabitur, nisi hæc omnia momenta recte habeat ante oculos posita. Nam quod legibus omissum est, non omittatur Arbitrio juri dicis re in quendum, quatenus probent historias.

religione judicantium l. 13. ff. de Test. & omnino huc pertinet l. 6. §. 1. ff. de Off. Præf. Veritas rerum erroribus gestarum non vitiatur: & ideo Preses provincia id sequatur quod convenit eum ex fide eorum, quæ probabuntur, sequi. Neque tamen cum temporis in primis brevitate excludamus, officio judicis describendo morosius inhærebimus, cum interim suffi-

sufficere possint, quæ accurate observavit Dn. Thomasius
noster d. Disp. C. I. §. 59. & C. 2. §. 58.

§. XXVI.

Quo remedio quis nisi possit adversus historicum mendacem? Atque ita proposito meo videri poteram satisfecisse, nisi e re putarem, ut veluti corallarii loco de eo hic quæram, quo quis remedio uti queat adversus historicam, qui in alterius præjudicium aliquid scripsit. Et quamvis non existimem eas præcise poenas in historicum mendacem statuendas, quæ falsis testibus imminent ex l. 13. 14. C. & l. 16. ff. de Test. aliisque, attamen injuriarum eos teneri eoque nomine damnatos intestabiles fieri censeo cum Tholofano in Synt. Jur. L. 18. C. 6. n. 2. Calumnias vero illas e libris tolli prorsus & aboleri oportere luculenter patet ex l. 37. ff. de injur. nemini haec tenus, quod sciam, observata. Gravius equidem aliquando punitos fuisse historicos uno altero exempli docere possem si liberet. Neque possum equidem hoc loco omittere, quod Naudæus in rarissimo scripto le Mascurat p. 42. refert: Gregoire XIII. fit punir de mort un certain Alfonso Ciccarelli de Bevagna parce qu'il fut convaincu d'avoir commis beaucoup de fautes en matière d' Histoire & de Genealogies. Quidam & qui libros Archivi publici corrumpunt, teneri pena l. 1. ff. de Jurisd. ibidem declarat Jason eamque esse communem Dd. sententiam testatur sub num 40. referente Ant. Gabriele de Prob. L. I. Concl. 5. n. 20. Sed plura colligere non vacat, finemque adeo imponimus nostræ dissertationi, quam si breviorem pro materiae multitudine judicaveris, Lector, tempore me exclusum hic non nisi primas veluti majoris operis lineas ducere voluisse, scias. Forsan enim fiet, ut aliquando majorem de testimonii historicorum magisque perpolitum tractatum procudam. Interim huic dissertationi benignos opto censores, atque Deo Optimo Maximo, cui hoc, quicquid est, consecro, gratias pro indulitis viribus ago habeoque devotissimas.

S. D. G.

T,

sd.

é8


S,

01 A 6568



VdA7





10

DISPUTATIO⁹ INAUGURALIS
DE EO
QVOD JUSTUM EST
CIRCA
TESTIMONIA
HISTORICORUM;

Quam,
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSIAE ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HEREDE, &c. &c. &c.
Ex DECRETO ET AUTORITATE INCLYTAE
FACULTATIS JURIDICAE,
P R E S I D E
DN. HENRICO BODINO,
SERENISSIMI ET POTENTISS. REGIS BORUSS.
CONSIL. ECCLES. IN DUC. MAGDEBURG.
ET PROF. JUR. ORDIN.
DN. PATRONO suo ETATEM DEVENERANDO,
PRO LICENTIA
Summos in utroque Jure honores & Privilegia
Doctoralia rite capessendi,
Ad D. 19. Septembris M DCCI.
horis ante & pomeridianis
publice disquisitioni exhibet

JO. BURCHARDUS MENCKENIUS, Lips.
Historiarum in Academia Lipsiensi Prof. Publ.
RECUS. HALÆ MAGDEB. Typis Johannis Jacobi Krebsii, Ac. Typ.